

**1999-08-27 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Centesimus Iam Appetit’**

***LETTERA DI GIOVANNI PAOLO II  
AL CARDINALE RAZAFINDRATANDRA  
ARCIVESCOVO DI ANTANANARIVO  
IN OCCASIONE DELLE CELEBRAZIONI PER IL CENTENARIO  
DELL'EVANGELIZZAZIONE DELLA DIOCESI DI ANTSIRABÉ***

*Venerabili Fratri Nostro ARMANDO CAIETANO  
S.R.E. Cardinali RAZAFINDRATANDRA  
Archiepiscopo Antananarivensi*

Centesimus iam appetit annus ex quo tempore ad Antsirabense solum Evangelii nuntius allatus est salutariaque germina illis in locis disseminari coepta sunt, sollertibus operantibus Missionariis Dominae Nostrae a La Salette, qui in gentes studio incensi, animose longum iter quondam susceperunt et ad oras illas appulerunt salubre opportunumque auxilium ibidem incolis laturo.

Admodum ideo decet iuvatque ut eventus his congruenter commemoretur et iusta ragione extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat memoriam repetendi, verum homines ad ferventiorum religionis sensum, firmiorem fidem certioraque proposita, pristinis illis instantibus exemplis, permovendi.

Ipsa igitur favente Domino, mensis Septembris XI-XIX diebus huius rei sollemniora agentur, etiam "Famadihana", ut aiunt, scilicet per primaeavorum missionariorum reliquiarum translationem necnon per diem festum Dominae Nostrae a La Salette, ut ager hic dominicus, iam tertio appetente millennio, inde fere sumens vim, uberiores fructus fundat plenioresque dies experiatur.

Quocirca ut ritus hic magnificentius efficaciusque evolvatur, Antsirabensis Episcopi, Venerabilis Fratris Felicis Ramananarivo, postulatis libenter occurrentes, mittere aliquem eminentem virum statuimus, qui partes Nostras sustineat et Personam gerat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, qui istorum locorum inclitus filius, prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, **MISSUM EXTRAORDINARIUM** renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes.

Caelestem porro Matrem prolixè deprecamur ut firmo suo patrocinio omnes tueatur. Universis Nostro nomine Benedictionem Apostolicam impertias velimus, quae sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum nuntiatrix.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Augusti, anno MCMXCIX Pontificatus Nostri vicesimo primo.*